

cum integra serie particularum columnæ extus urgentis, sed cum unaquavis hujus serie, æqualis alterius columnæ series comparanda: quandoquidem uti facies laminæ inferior non capit aut admittit plures aeris particulas quàm superior; ita nulla est in superiore particula, quam non, æquè ac quamvis circa inferiorem, aliarum particularum series æquè longa protrudat ac impellat. Ex quibus ultimis insimul aliquo modo datur intelligere, quid respondendum sit, si fortè regerat Morus, quod alibi toties facit, aeris molem seu cylindrum qui pauxillum inter laminam & marmor aerem urget, esse multò minorem quam alterum qui laminam inferiùs adtollit, & consequenter illum hoc multò debilio- rem. Etenim (ut non repetam ea quæ suprà ad suppositum II. prolixè differui) si omnes & singulæ aeris particulæ quæ laminæ superiorem faciem contingunt ab integra serie desuper ipsis incumbentium particularum premuntur, æquè ac omnes singulæque aeris particulæ quæ laminæ basin inferiùs circumstant, (quis verò hæc neget?) non possunt non illæ tantundem virium exserere in la- mina deprimenda, quantum hæ in adtollenda; quicquid sit de Columnis seu cylindris, quos fluidos esse, non solidos, oportet meminisse, adeoque non rectè tantùm deorsum sed quaquaversum atque in omnes partes oblique vim suæ gravitatis exserere; longè aliter quàm in cylindris solidis, qui non nisi ad per- pendiculum totâ sui mole gravitantes, tantò plus urgent, si fuerint æquè alti, quantò sunt majoris molis & spissitudinis, ab aliis contiguis, ob ipsam illam ri- giditatem quæ vim ponderis ad latera diffundi non patitur, nihil impediti; cùm in fluidis, non possit cylindrus spissior in vicinum alium teneriorem omnem suam vim effundere, cùm aliis pluribus ipsum ab omni parte urgentibus simul & semel cogatur obistere. Sed de his infrà plura ad Tentam. VII. Phænom. I. Hoc unicum tantùm ad instar Corollarii hujus IX. Conclusionis adhuc adjici- emus: Fortassis hanc veram & genuinam causam esse soliditatis ac duritiei in quibusdam corporibus, quòd eorum particulæ plurimis facieculis ita se invi- cem contingunt, ut excluso omni aere instar duorum planorum firmiter cohæ- reant, ac tantò quidem firmiùs quantò fuerint illæ facieculæ majores aut plus politiei vel minus asperitatis habuerint &c.

## AUCTARIUM V. TENTAMINIS.

### AD PHÆNOM. I.

§.  
**C**ogitur autem aqua stillatim in cavitatem bullæ, si vel exsugatur aer suc- cessivè & post quamque suctionem extemplò immergatur aquis ejus col- lum, prout superiùs Tentam. IX. quintum nostrum genus Thermoscopiorum paravi-